

axungia parte miscere: Efficacius hoc modo parabitur:

℞. *Cantharid. extremis ablatis* ℥ iij.
mica panis crudi ℥ ij.
aceti squillitic. ℥ ss.
contundantur simul, & fiat pasta.

Alii vero cantharides cum solo fermento miscent. Efficacius etiam reddunt, addita radice bryoniae vel cyclamini, vel ranunculi, apii risus dicti, si nimirum ℥ ij. addantur; piperis vero ℥ i. cum parte aliqua fermenti. At si cantharidibus uti velimus, vesicę prospiciendum, ne lædatur, quod fiet, si cremor lactis, vel succus amygdalar. dulcium cum decocto hordei, & diatragea cantho frigido propinetur.

Quod si vero dolor vehemens cum rubore accesserit, & pustulae adfuerint, tum linteolum succo maluae aut decocto fenugraeci cum rosac. madefactum, imponendum erit, deinde cerato rosae: si cerussa utemur, vesicę a medicamento excitata forcipibus aperiendae sunt, apertae retinendae, donec omnis humor peccans e parte sit vacuatus, quod fiet, si butyri aliquid addatur, admoto folio hederæ, vel tussilaginis, vel brassicæ.

Vsus est ad serosos humores educendos ex quacumq; pene corporis parte, maxime vero si malum a frigida causa ortum ducat. Laudatur potissimum in doloribus dentium, si vel nuchæ vel carpo applicentur. In affectibus oculorum reuulsionis gratia, derivationis & euacuationis. Sic etiam